

filia comprehensam se occisuros ostenderent, longe facilius erant in sua potestate habituri. Verum maluit Euripides illos minus prudenter agere, quam amittere occasionem qua theatrum et miraculo raptae in caelum Helenae et insolito adspectu trepidantis p[re]e pavore Phrygis eunuchi oblectaret. Itaque precati manes Agamemnonis, manifesta imitatione Aeschyli, dispositoque ad observandum choro, Orestes et Pylades intus Helenam aggrediuntur, Electra autem ante fores reducem a Clytaemnestrae tumulo Hermionam simulata oratione excipit, quam introituram Orestes et Pylades comprehendunt atque intro rapiunt, sequente eos Electra. Tum elapsus ex aedibus Phryx incredibili formidine palpitans quae intus acta sint choro exponit. Eum hominem egressus ex aedibus Orestes postquam Iudibrio habitum intro pepulit, ipse cum Pylade accensis facibus in tecto apparet, ferrum iugulo Hermionae intentans, quum Menelaus advenit corpus Helenae reposcens. Ei Orestes necem Hermionae minatur, ni adducat Argivos ut se sororemque suam vivere sinant. Haesitante autem illo quid faceret, Electram et Pyladem iubet domum incendere, ipse Hermionam interfectorus. Menelaus clamore ad opem ferendam excitat Argivos. Ibi vero apparet Apollo, Helenam inter deos relatum iri, Orestem autem post annum apud Arcades exsiliū Athenis Areopagi iudicio absolutum iri nuntians, uxoremque ducere Hermionam, Pyladae vero sororem in matrimonium dare iubens. Quibus dei dictis pax et concordia fit.

Haec repentina status commutatio quam rude inventum sit in promptu est. Manifestum est enim, poetam, postquam rem ita implicavit ut in se ipsa nullam contineat quae cum vulgari fama congrueret nodi solvendi rationem, ad deum ex machina confugisse, qui